

nec ne, aliisq; circumstantiis pœna judici relinquatur arbitraria, quæ, requisiti ante prudentum consilio, ad ultimum supplicium porrigi poterit, *ibi: an Leibes oder Leben/ Georg. Rem. in suâ Paraphrasi hîc, p. 153.* Regulariter autem fustigatio & relegatio furi pro primâ vice dicitur, *Coler. decis. 144. num. 4. nu. 20. part. 1. quem allegat Steph. hîc. Sigism. Wittum in decad. cons. resp. 10. num. 1. cum seqq.* Ardua hîc, & anceps occurrit quæstio: an quemadmodum quis pro tribus parvis furtis (etiâ diversis in territoriis perpetratis, *Gometz. tom. 3. var. resol. c. 5. n. 8. Christ. Waldeck. de furtis, q. 43.*) ita pro uno magno, sive enormi furto, quod tribus parvis æquipolleat, in malam rem agi, atque suspendi debeat? Quod negandum putamus, quia pœna mortis ob solam reiterationem & frequentiam, non verò propter magnitudinem furti imponitur, *l. capitalium, 28. §. solent, & §. grassatores, de pœn. l. 3. in fin. C. de Episcop. aud. l. servos, 8. §. viles, & ibidem Dionysius Gothofr. a. 1. C. ad L. lul. de vi publ. l. 3. vers. si plures, de re milit. l. 1. de jur. patr. l. quicumq;, C. de serv. l. 2. C. de superexact. l. 2. C. de primicerio, l. 3. C. de domest. & protect. l. fin. C. de com meat. quæ ratio finalis cessat in unico furto magno, & nunquam posset cognosci, quodnam furtum dicendum esset magnum vel parvum, si pro omni furto pœna capitis imponeretur, *Waldeck. de furtis, q. 42. Clar. in §. furtum, num. 9. Harpr. in tract. crim. ad §. pœna manifesti, Inst. de obl. quæ ex q. delict. nasc. num. 51. & seqq. Menoch. 2. arb. jud. quest. c. 295. num. 9. Petreus in thes. concl. crim. concl. 45. Farin. de delict. & pœn. lib. 1. tit. 3. q. 23. num. 1. Nicol. Boër. decis. 173. nu. 9.* ubi refert quendam evasisse periculo mortis, qui commiserat furtum mille ducentorum ducatorum, eumq; tamen pro uno furto fuisse punitum.*

ARTICULUS CLXI.

Furtum iteratum.

Cum secundâ vice sine armis, & effracturâ quis furatur, & utrumq; furtum quinq; florenis minus est, tam manifestus, quàm occultus famoso ignominia palo alligari, & exactâ de non offendendo cautione, vel in exilium mitti, aut districtui illi perpetuò mancipari debet. Quod si verò illa furta pretio suo quinq; florenis non respondeant, eadem, quæ in *artic. precedente*, obtinebit juris dispositio. An committens in aliquo loco furtum, & repertus sine auriculis ex eo sufficiens inducatur præsumptio, quod duo commiserit furta? Negatur. Quia in criminibus, in quibus imponenda venit pœna mortis, non sufficit proptio præsumptiva, sed requiritur vera & liquida demonstratio, *l. sciant, 25. C. de prob. l. singuli universiq;, judices, C. de accus. l. 1. §. illud, ad SC. Syllan.* Imò abicissio atrium sufficit ad hoc, ut fur interrogetur de aliis furtis, & quibus in locis illa commiserit, ut Judex reddatur certus, & possit mittere literas requisitorias ad ea verificanda.